



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. ij. De veritate motus & actionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

neri à se distinctam, neque recipi per passionem à se distinctam: ergo si motus sit, debet esse actio; & si recipitur in subiecto, debet esse passio. Probatur antecedens. Si motus fieret per actionem à se distinctam, & reciperetur per passionem à se distinctam, daretur progressus in infinitum; nam hæc actio, qua fit motus, tendit ad terminum, & est in subiecto: ergo habet motum & passionem. Et iterum hic motus, & hæc passio sunt per actionem à se distinctam, & sic in infinitum.

Differunt formaliter.

Secunda pars, quod illa tria distinguantur conceptibus, difficilior est, & illam negant quidam Recentiores Philosophi, sed immerito. Primum enim Philosophi verba expressa sunt tertio Physic. textu 22. *Omnino verò (inquit) dicere est, quod nec doctio cum disciplina, neque actio cum passione idem proprie est; sed cuius hæc insunt, motus; nam huius in hoc, & huius ab hoc actum esse, ratione diuersum est.* Vnde ratio sic confici potest. Illa distinguuntur conceptu, quorum vnum potest sine altero definiti; motus, actio, & passio huiusmodi sunt; motus enim recte definitur, *Actus mobilis v; est mobilis*; actio, *Actus egressus ab agente*; passio, *Actus receptus in subiecto*: ergo illa tria distinguuntur conceptu. Deinde in vna, & eadem re concipi possunt tres respectus, ad agens, ad patiens, ad terminum: per respectum ad agens, dicitur actio; per respectum ad passum, dicitur passio; per respectum ad terminum, dicitur motus: illi tres respectus non se includunt formaliter: ergo motus etiam actio, & passio non se includunt formaliter.

Prima obiectio.

Obicitur primum, contra primam partem assertionis. Illa distinguuntur realiter, quæ sunt in diuersis subiectis: passio est in passio, actio verò est in agente; si enim actio esset in passio, passum denominaretur agens: ergo actio & passio distinguuntur. Imò desinente actione agentis, v. g. calefactione, manet tamen passio. Denique si motus, actio, & passio sunt vnum, nulla erit ratio propter quam motus non constituat vnum prædicamentum æquæ ac actio & passio.

Resp. actionem esse reuera in passio, vt constabit postea; neque tamen propterea passum denominatur agens, sicut quamvis visio sit in oculo, non denominatur tamen oculus visus, sed obiectum. Deinde quoties definit actio agentis, definit etiam passio; nam eadem conseruatio est actio & passio. Si verò remoto igne calefaciente desinat calefactio, seu actio talis ignis, & succedat actio conseruatiua procedens à solo Deo, definit quoque passio, quæ prius erat, & accedit noua identificata nouæ actioni.

Ratio cur motus non constituat speciale prædicamentum, data est in Logica, quia motus vt motus dicit essentialiter aliquid incompletum, cum sit actus ordinans subiectum ad actum vltiorem; actio autem & passio formaliter præcise sunt à ratione incompleta; nam etsi via sint ad terminum, tamen actio est fieri eius tanquam egressus ab agente; passio tanquam illius receptio in passio, vbi nihil includitur incompletum.

Secunda obiectio.

Obicitur secundò contra secundam partem conclusionis. Sicut idem est, etiam per rationem, me videre obiectum, & obiectum videri à me; ita idem est formam educi ex subiecto, & educere illam ex subiecto: sed educere formam ex subiecto actio est, & illam educi ex subiecto, est passio: ergo actio & passio non differunt, etiam formaliter.

Resp. falsum esse, quod actio & passio in eo solum differant, quod actio explicetur per verbum

R. P. de Rhodis curs. Philosoph.

actiuum, passio verò per verbum passiuum; sic enim illæ non differunt nisi grammaticaliter, sicut differunt me videre obiectum, & obiectum à me videri: sed differunt in eo, quod actio formaliter respiciat solum agens, licet explicari possit per verbum actiuum, & passiuum; est enim agi & agere; passio autem respiciat formaliter subiectum, quod explicatur per verbum actiuum & passiuum; est enim recipi & recipere. Ideo ad argumentum distinguitur maior; idem est educi formam ex subiecto, & educere formam, si educi, & educere, dicant respectum ad agens, concedo; si autem educere, dicat respectum ad solum agens, educi autem dicat respectum ad solum passum, nego. Ad minorem; sed educi est passio, & educere est actio, si educi dicat respectum ad agens, nego; si educi dicat respectum ad subiectum, concedo.

Obicitur tertio. Mouere formaliter est agere, & moueri est formaliter pati: ergo motus est formaliter actio & passio. Probo antecedens. Alterare subiectum est formaliter illud mouere, & alterari formaliter est moueri: sed alterare est agere, & alterari est pati: ergo mouere formaliter est agere, & moueri formaliter est pati.

Tertia obiectio.

Resp. distinguendo primum antecedens; mouere est formaliter agere, & moueri est formaliter pati, si moueri, & mouere formaliter & præcisè significant motum, negatur; si sumantur adæquatè, concedo. Vnde falsa est consequentia; motus enim & mouere valde differunt, quia motus præcisè significat solum transitum ab vno extremo ad aliud, mouere autem dicit transitum illum prout est ab agente, & moueri dicit transitum prout recipitur in passio. Mutatio includit quidem subiectum, sed materialiter tantum, prout transiens à priuatione ad formam; sed non includit illud formaliter vt subiectum.

Obicitur quartò. Motus formaliter est ab aliquo, cum sit ens dependens; & est in aliquo, quia est accidens: ergo motus formaliter est actio & passio. Deinde subiectum intelligitur se aliter habere per actionem & passionem, cum illæ sint aliquid nouum; ergo actio & passio sunt motus, seu mutationes formaliter.

Quarta obiectio.

Resp. motum quidem materialiter, & adæquatè sumptum esse in aliquo, & ab aliquo, sed non sumptum formaliter: vnde sequitur motum includere quidem actionem & passionem, sed materialiter tantum; nam quamuis ratio dependentiæ sit impræcisibilis à re creata adæquatè sumpta, præcisè tamen potest ab ea sumpta solum inadæquatè. Itaque verum est quod per actionem & passionem sumptas materialiter subiectum aliter se habet, quia scilicet illæ habent adiunctum motum; sed non per actionem & passionem formaliter sumptas.

SECTIO II.

De vnitatem motus & actionis.

Aristoteles 5. Physic.

E AD essentialiam motus proximè pertinet eius vnitas; nam specificatio, seu essentia specifica motus ab eo petitur, à quo petitur eius vnitas; vnde sequitur vt explicetur quomodo motus vnus sit genere, vnus sit specie, vnus sit numero.

X

§. I.

§. I.

Veritas generica motuum, seu ad quæ prædicamenta datur motus, & quanam sint eius species.

Tres species motus.

Dico primò, motum propriè dictum, proptè mutatione distinguitur, dari ad tria tantum prædicamenta, quantitatem, qualitatem, & ubi; unde tres duntaxat sunt species motus, augmentatio, alteratio, motus localis; generatio verò substantiæ, mutatio est, non autem propriè dictus motus.

Obserua tres à Philosopho conditiones exigì ad propriè dictum motum, proptè distinguitur à mutatione. Prima est ut habeat terminos positivos & contrarios: secunda ut sit per se successivus, non solum per accidens: tertia ut per se tendat ad terminum.

Termini contrarij.

Dixi primò, exigì ut terminos habeat positivos & contrarios; quod tamen non est facile explicare, quia termini augmentationis & motus localis non sunt positivi contrarij; termini autem generationis privatiuè contrarij sunt. Respondeo non exigì ut termini motus propriè sint contrarij, neque satis esse ut quolibet modo habeant inter se oppositionem; sed requiri ut determinatè inter se repugnent: est autem determinata hæc repugnantia ut unus terminus ita per se fiat ex alio termino, ut non aequè fieri possit ex alio, v. g. calidum non fit nisi ex frigido, magnum nisi ex paruo, sinistrum nisi ex dextro. Formæ verò substantiales licet sint impossibiles, non habent tamen determinatam repugnantiam, quia forma ignis ita fit ex forma ligni, ut fieri possit etiam ex forma stuppæ, &c. Quod si forma viventis sit ex forma embryonis, hoc non fit per se ratione oppositionis inter illas formas, sed ratione dispositionum, quas ut fiat, exigat forma viventis.

Successio.

Dixi secundò, debere motum esse per se successivum, non tantum per accidens. Motus per accidens successivus est is, qui non ratione sui, sed ratione alicuius adiuncti est successivus; illuminatio v. g. licet ex natura sua fiat in instanti, per accidens tamen fit successivè, quando fit ad motum corporis luminosi; quod idem est verum aliquando de generatione substantiali, quæ per accidens ratione dispositionum est successiva. Motus ergo per se successivus est is, cuius terminus exigit successivè acquiri, ut locus, quantitas, qualitates habentes contrarium.

Per se tendere ad terminum.

Dixi tertio, debere motum per se, non per accidens tendere ad terminum. Dicitur tendere per se, quando terminus est à natura intentus, v. g. calefactio per se tendit ad qualitatem, quia illam natura intendit acquirere; tendit autem per accidens ad terminum quem natura non intendit acquirere, sic enim v. g. calefactio tendit ad relationem. Tunc autem terminus per se intendi dicitur à natura, cum aliqua potentia ordinata est ad eliciendum motum acquisitionem talis termini: data v. g. est potentia motrix acquisitiva loci.

Ratio conclusionis.

Ratio ergo conclusionis est, quia tres illæ conditiones motus, quas attuli, reperiri nullo modo possunt in motu, nisi ille fuerit augmentatio, alteratio, latio: nam generatio, ut dixi, nec est per se successiva, neque habet terminos determinatè oppositos positivos. Relatio est solum for-

A malitas, quæ non est aliquid per se producibile; actio & passio non differunt à motu, idè ad illas non datur motus: duratio etiam non differt realiter à motu: situs & habere non sunt termini per se intenti à natura, sed medio tantum motu locali.

Obiicitur primò. Motus ad substantiam, quæ Prima ob- accretione acquiritur, non est minus proprius, iectio. quàm motus ad quantitatem: sed iste est motus proprius: ergo & ille. Probatur maior. Viuens quando accrescit, non minus acquirit maiorem molem substantialem, quàm quantitativam: sed eadem est contrarietas inter maiorem & minorem substantiam, quæ est inter maiorem & minorem quantitatem: ergo est aequè propriè dictus motus.

B Respondeo acquisitionem maioris mobilis substantialis fieri successivè per accidens tantum ratione quantitatis, cui est coniuncta; si autem sola esset, acquiri posset tota simul.

Obiicitur secundò. In motu terminus à quo Secunda ob- est contrarius, & perditur adveniente termino ad quem: sed minor quantitas non perit adveniente maiore quantitate: ergo ad quantitatem motus propriè dictus non datur.

Respondeo dictum nuper esse, quomodo termini motus esse debeant contrarij; satis enim est, quod determinatè inter se repugnent, ita ut unus terminus sic fiat ex alio termino, ut non aequè fieri possit ex alio; magnum v. g. non fit nisi ex paruo, atque ita termini augmentationis sufficienter contrarij sunt, unde ad argumentum negatur, debere terminum à quo perdit adveniente termino ad quem.

Obiicitur tertio, quando ignis disponit lignum Tertia ob- per qualitates, ut inducat formam, id quod primò, iectio. & per se intendit, est inductio formæ substantialis, non autem qualitatum: ergo qualitates non sunt per se termini motus.

Respondeo ignem habere rationem agentis per alterationem, & agentis per generationem; quatenus est agens per generationem, per se non intendit nisi formam; quatenus autem est agens per alterationem, per se intendit qualitates, quamvis ultimum etiam intendat formam.

§. II.

Veritas specifica motus.

Idest, per quid unus motus essentialiter & specificè differat ab alio motu, atque adeò, per quid constitutur in tali vel tali specie motus; nam specificari est constitui in certa specie. Volunt autem aliqui speciem motus peti à solo termino ad quem; alij volunt illam peti à principiis moventibus.

EDico secundò, motum, ut motus est, essentialiter & primariò specificari à solo termino for- Conclutio bimentibus mali ad quem tendit, secundariò autem specificari ab agente. Contra multos Recentiores impugnatos olim cum agerem de actu supernaturali.

Ratio autem primæ partis est, quia motus ab eo potissimum specificatur, ad quod ordinatur primò & per se: sed motus primò & per se ordinatur ad acquirendum terminum ad quem, non autem ad deferendum terminum à quo, vel ad medium decurrendum: ergo à solo termino ad quem

quem motus specificatur. Et hoc etiam constat, quia motus non accipit nomen nisi à termino ad quem, non autem accipit nomen vel à termino à quo, vel ab agente. Calefactio v. g. dicitur à calore quem producit, & frige factio à frigore.

Deinde si ab agente specificaretur actio & motus, implicaret ut ab eodem agente prodirent actiones diuersæ speciei, & ut ab agentibus specie diuersis prodirent actiones eiusdem speciei; hæc autem duo falsa sunt, nam primò ab eodem intellectu procedunt cognitiones diuersæ speciei, ab eadem voluntate amores diuersi; idem sol illuminat & accendit, indurat & liquefacit; visio Dei, & amor procedentes ab Angelo & ab homine sunt eiusdem speciei, nisi dicere velis, quod Angelus minimus videt & amat Deum perfectiùs, quam Christus Dominus, aut Dei mater sanctissima, quod dicere nemo ausit. Deinde quod ab agentibus diuersæ speciei procedant motus eiusdem speciei, patet: nam calefactio procedens à sole non differt ab ea quæ oritur ab igne; duo motus circulares non differunt specie, si fiant ab Angelis specie diuersis: ergo manifestum est, quod actio non sumit speciem suam primariam ab agente, sed à termino.

Agens specificat secundario.

Secunda pars asserit, quod agens secundario specificat motum, quia scilicet motus, prout actio est, essentialiter respicit ipsum agens; implicat enim ut hæc actio numero procedat ab altero agente, ut olim probaui: ergo motus aliquo modo specificatur ab agente, quamuis semper principaliter specificetur ab ipso termino.

Dixi tamen, motum specificari à termino formali, quia scilicet in quolibet termino motus distinguuntur debent ratio materialis, & ratio formalis. Materialis est ipsa entitas formæ acquirendæ, v. g. calor acquisitus per calefactionem; ratio formalis est semper aliqua formalitas in illa entitate sub qua intelligitur terminare motum, v. g. in calore est ipsa differentia caloris sub qua intelligitur terminare motum; unde licet calor sit intelligibilis, tamen calefactio non dicitur terminari ad intelligibile, nisi per accidens. Imò idem calor est intelligibilis, est amabilis, est odibilis, est sensibilis; unde licet in se vnicum sit obiectum materiale, multiplex tamen est obiectum formale.

Prima obiectio.

Obiicitur primò. Si motus specificatur primario à solo termino ad quem, sequitur augmentationem & decretionem eiusdem esse speciei; moueatur enim aliquid à bipedali ad tripedale, motus est augmentationis: si autem moueatur à quadripedali ad tripedale, erit decretio; vtriusque illius motus idem est terminus ad quem, quantitas nimirum tripedalis: ergo augmentatio & decretio sunt eiusdem speciei, quod absurdum est. Imò sequetur, quod idem motus continuus est in multiplici specie, quia plures habet terminos, si v. g. lapis à cælo cadens transeat per spheram ignis, aeris, & aquæ.

Respondeo terminos quidem materiales accretionis & decretionis eosdem esse posse, sed earum terminos formales semper esse diuersos; nam terminus formalis accretionis est semper quantitas maior, ut maior; terminus verò decretionis est quantitas minor ut minor. Motus lapidis à cælo in terram plures haberet terminos non vltimos, vnicum verò terminum vltimum, à quo solo actio sumit speciem.

Secunda obiectio.

Obiicitur secundò. Sequeretur, quod motus sursum, & motus deorsum eiusdem sunt speciei, si v. g. vnus piscis ex aqua sursum ascendat, & al-

R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

ter descendat, idem erit vtriusque motus terminus ad quem, nempe aqua: si proiciatur sursum lapis in aërem, & auis ex cælo in aërem descendat, idem aër erit terminus ad quem huius vtriusque motus: ergo motus sursum & deorsum eiusdem sunt speciei; quod absurdum est, quia sunt motus contrarij, & grauitas & leuitas specie differunt essentialiter. Deinde sequeretur quod motus naturalis, & motus violentus sunt eiusdem speciei; si enim aqua motu violento ascendat ad locum A, deinde motu naturali ad eundem locum descendat, motus illi eundem habent terminum ad quem: ergo illi eiusdem sunt speciei.

Respondeo motus sursum & deorsum semper differre accidentaliter; tunc autem differre specificè quando habent terminos diuersos; v. g. terminus corporum leuium est spæra ignis, aut concuum lunæ; terminus grauium est terra, vel aqua. Idem dicendum est de motu violento & naturali, recto & circulari, quoties illi habent eundem terminum ad quem; differunt enim ratione circumstantiæ alicuius accidentalis, non autem essentialiter, & specificè.

Obiicitur tertio. Creatio, & generatio eundem habere possunt terminum ad quem; nam forma eadem ignis quæ generatur, creari potest à Deo; accidentia in sacramento Eucharistiæ creantur, cum antea generarentur: creatio & generatio pro certo differunt essentialiter: ergo actiones non differunt per solum terminum ad quem.

Tertia obiectio.

Respondeo creationem & generationem habere quidem posse terminos eosdem materiales, sed implicare ut habeant eosdem terminos formales; nam terminus formalis creationis est forma prout existens independenter ab omni subiecto; terminus autem generationis est forma, prout dependens à subiecto. Imò terminus eductionis est forma simul cum vnione; creatio autem terminatur ad solam formam.

S. III.

Vnitatis numerica motus.

Id est, quænam sint circumstantiæ, ex quibus certo dignosci possit, quando motus est vnus numero, vel multiplex.

Dico tertio, ad vnitatem numericam motus requiri vnitatem termini ad quem, vnitatem subiecti, temporis, & agentis totalis.

Conclusio quatuor partes habens. Probatio.

Ratio est, quia implicat ut eadem tendentia sit ad plures terminos; motus autem tendentia est ad terminum: ergo ad vnitatem motus requiritur vnitatis termini. Deinde motus est accidens, imò est modus ipsius mobilis; non potest autem idem modus habere plura modificata: ergo ad vnitatem motus requiritur vnitatis subiecti. Præterea continuitas requiritur ad vnitatem motus; si enim sit interruptio, iam non est vnus motus: sed ubi est continuitas, ibi est vnitatis temporis: ergo ad vnitatem motus exigitur vnitatis temporis. Denique mutato agente mutatur actio: ergo vnitatis agentis ad actionem requiritur.

Dices, posse diuinitas motum reproduci: ergo vnitatis temporis non exigitur ad motum.

X 2 Respon

Respondeo vnitatem temporis dupliciter sumi posse. Primò proptèr significat continuitatem sine interruptione partium motus; & illa exigitur ad vnitatem motus etiam reproducti. Secundò proptèr significat vnitatem totalem temporis, in quo fit motus, & illa est quidem signum vnitatis, sed non est necessariò requisita.

SECTIO III.

Communes proprietates motus.

Explicatâ essentiâ, & vnitatem motus, sequuntur tres eius proprietates præcipuæ, continuïtas, contrarietas, velocitas aut tarditas.

§. I.

Continuïtas successiua motus.

Aristoteles 6. Physic.

Idest, utrùm motus, qui per aliquod tempus durat, fiat sine vlla interruptione; deinde vnde illa successio continua oriatur.

Conclusio
affirmans.

Dico primò. Datur aliquis motus verè successiuis, & continuus sine vlla interruptione, qui non fit per morulas interruptas. Ita iam sæpè probatum est cum communi sententia, contra Galenum, Vallesium, Arriagam, & alios non paucos Recentiores reiectos *disput. 3. & 4.* cum egi de continuo tum permanente, tum successiuo.

Quadruplex
probatio.

Primò quia manifestè sequitur, quod dum rota circumagitur, partes eius internæ, quarum motus est tardior, quiescunt tunc cum mouentur partes externæ, quod absurdum est, quia quoties lignum mouetur, omnes eius partes mouentur, alioqui partes diuelluntur à se inuicem: tene baculum in manu, mota vna eius parte totus baculus mouetur, alioqui frangitur. Rota igitur necessariò frangetur si maneat immota: partes eius internæ tunc quando externæ mouebuntur.

Secundò lapis molaris cadens ex alto non quiescit in aëre, si causam habeat necessariam motus deorsum: sed tunc quando dicitur quiescere, causam habet necessariam motus, gravitatem videlicet: ergo lapis molaris in medio aëre non quiescit, sed sine interruptione mouetur; gravitas enim tunc imprimit motum necessariò.

Tertiò, ut motus fiat continuus, requiritur tantum ut vna pars motus immediatè fiat post aliam: sed nullo modo implicat, ut vna pars motus immediatè fiat post aliam; sicut enim nullo modo implicat, ut vna pars continui permanentis immediatè sit post aliam, sine vilo corpore medio; sic non implicat ut vna pars quantitatis successiue immediatè sit post aliam. Atque ita sicut datur continuum permanente, sic datur continuum successiuum. Mihi sane non satis compertum est, quare necessariae sint interruptiones illæ continuæ in motu, neque sint necessariae in quantitate permanente. Denique si motus fieret per has morulas, tempus constaret necessariò ex indiuisibilibus inflatis; quod ostendi esse impossibile.

Dico secundò, successionem in motu locali oriri ex latitudine spatij decurrendi, in alteratione ex resistentia contrarij, in accretione ex latitudine quantitatis, & ex successiua introductione dispositionum in alimentum.

Prima obiectio.

Obiicitur. Si motus sit continuus sine vlla interruptione, sequitur omninò quod idem est æquale

A duobus inæqualibus, quod procul dubio implicat. Probatur sequela. Moueantur per horam Petrus & Paulus motu inæquali, adèd ut Paulus centuplo tardius moueatur quàm Petrus; tunc in hora tot sunt partes, quot sunt partes in velocissimo motu Petri, quia motus ille durat per horam: ergo hora est æqualis motui Petri. Deinde verò tardissimus motus Pauli tot habet partes, quot habet hora; durat enim per horam: ergo illa hora est æqualis in numero partium duobus motibus qui sunt inæquales. Simili argumento probatur duos motus esse simul æquales & inæquales; Petrus enim & Paulus moueantur super idem spatium leucale, sed ita ut Petrus vno quadrante illud decurrat, Paulus verò vna hora. Probo duos illos motus æquales esse inter se. Sunt æquales, quia tot in utroque sunt partes, quot sunt partes in spatio quod decurrunt; uterque autem idem spatium conficiunt. Sunt inæquales, quia motus Petri non habet plures partes quàm quadrans; motus autem Pauli habet tot partes, quot habet hora; cum duret per horam: non possunt autem æquales esse duobus inæqualibus, quin sint inæquales inter se: ergo illi motus sunt æquales & inæquales. Dixi de hoc argumento in *tract. de Angelis*, ubi & plenè solutum est.

B Resp. ad primum negando sequi ex continuitate motus, quod eadem hora sit æqualis duobus motibus inæqualibus; nam ex suppositione, quod hora tot habeat partes, quot habet partes velocissimus Petri motus durans per horam, nego absolutè, quod tardissimus Pauli motus durans per horam tot habeat partes, quot habet hora; hoc enim in ista materia fixum esse debet, falsam esse hanc propositionem: *Motus durat per horam: ergo tot necessariò habet partes, quot habet hora.* Fieri enim potest, ut motus durans per horam plures habeat partes quàm hora, vel etiam ut habeat partes pauciores. Plures habebit partes, si motus sit velocior, & habeat partes magis constipatas: pauciores habebit partes, si sit tardior, habeatque partes rariores. Sicut in continuo permanente non est bona consequentia: *Dua linea sunt bipedales: ergo tot sunt partes in una linea, quot sunt in altera.* Si enim vna sit rara, & altera densa, plures in eodem spatio habebit partes linea densa, quàm habeat linea rara. Idem dico de duobus motibus inæqualiter velocibus durantibus per horam; non enim sequitur illos esse inæquales inter se, & æquales cum hora; motus enim tardissimus durans per horam pauciores habet partes, quàm hora.

C Neque aliam habet solutionem alterum argumentum, quo probatur, duos motus esse inæquales & æquales inter se; quia Petrus & Paulus idem spatium conficiunt tempore inæquali. Dico igitur, quod in tali casu motus uterque habet æqualem numerum partium, quia uterque idem spatium decurrit; nego autem, quod motus Pauli durans per horam habeat propterea tot partes, quot hora. Cum enim sit tardissimus, non habet plures partes, quàm quadrans; nam ad æqualem numerum partium non sufficit æqualis duratio; sicut in quantitate permanente non sufficit æqualis extensio, nisi adsit etiam eadem raritas, vel densitas; quod enim in continuo permanenti est raritas & densitas, hoc idem in continuo successiuo est velocitas, & tarditas.